



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

2. An pro repudianda, vel admittenda hæreditate licentia mariti requiratur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)

& absque licentia viri comparere in iudicio pro petenda contractus executione repellere eam debet. Ut asserit Auiles in c. 10. prator. verbo execution. n. 62. quem refert, & sequitur Ioan. Garcia de iur. m. p. c. 1. n. 37. & in pract. q. 2. n. 16.

9 Verum perfectio contractus, si virilis sit non solum mulieri, sed viro neque pars aduersa nullitatem opponere, quia hæc nullitas inducta est tum in fauorem mulieris, tum præcipue in fauorem viri, ne eius potestas, & autoritas quam in mulierem, eiusque bona habet contemnatur. Ergo penes ipsos stat huic fauori renuntiare, & contractui à principio nullo stare velle. Maximè cum contractus qui virilis est non solum mulieri sed etiam viro nullus non sit, sed validus. Ut probant alii relatis Ant. Gom. l. 54. Tauri. n. 2. Matien. l. 2. gloss. 1. n. 14. tit. 3. l. 1. collect.

10 Ceterum si ipsi marito contractus præiudicialis sit, tamen si mulier virilis, existimo contrahentem cum muliere si sua interest dissoluere contractum, opponere de nullitate posse, quia verè ille contractus nullus est, nec mulieri vllam ex illo ius est acquisitum. Nihil ergo impedire potest contrahenti quin hanc nullitatem opponat, præcipue cum in hac oppositioe partes mariti agat, illumque à præiudicio & iniuria facta defendat. Neque his obstat quod nemini conceditur excipere ex iure tertij. l. loci corpus. §. compet. ff. si seruis vindicet. leg. si quis emptio. §. si vero nullum. Cod. de praescrip. 20. annor. quia id intelligendum est (ut rectè inquit Gutier. statim allegandus) quando ius tertij non est exclusiuum iuris agentis. At in præsentis ius tertij scilicet mariti quod ex illo contractu hæsum est excludit actionem mulieris ob contractus nullitatem. Atque ita defenditur, multisque doctoribus, & rationibus comprobatur Ioann. Gutier. l. 2. pract. questione vigesima secunda per totam.

§. II.

An prorepudianda vel admittenda hereditate licentia mariti requiratur?

- 1 De iure communi poterat vxor hereditati sibi delata renuntiare absque viri licentia. Iure vero nostro regio nequaquam potest.
- 2 Si de facto vxor absque consensu mariti renuntiet, nulla est renuntiatio.
- 3 Quinimo potest maritus nomine vxoris eam hereditatem repudiare acceptare.
- 4 Vxor cum beneficio inuentarij adire hereditatem potest, secus absque illo.
- 5 Quod si inuentarium debito tempore, vel secundum formam iuris confectum non sit nulla est aditio.
- 6 Si vxor hereditatem absque beneficio inuentarij, & licentia mariti adire nulla est aditio.

1 **I**nspecto iure communi optime poterat vxor hereditati sibi delata renuntiare absque vlla viri licentia, quia esto ei prohiberetur iuris quaestio renuntiatum, non tamen iuris quaerendi; cum ius quaerendum non sit in propriis bonis. lege preter. verum. Digest. Ad leg. Falciat. Attamen inspecto iure nostro regio lege x. r. 3. libro 5. collect. quæ est 14. Tauri, expressè cauetur, ne vxor repudiare absque licentia viri hereditatem possit. Nam cum marito competat vxorem alere, familiam regere, aliæque matrimonij onera sustinere, ad quorum leuamen multum prodesse potest hereditas vxori delata, merito lex statuit ne absque eius consensu quamlibet hereditatem sibi ex testamento, vel ab intestato obuenientem renuntiet.

2 Quod si de facto absque licentia mariti vxor donationem ei factam, legatum, fideicommissum, quæ omnia sub hereditate intelligi debent renuntiet, nulla est renuntiatio vtopotè facta contra legem resistentem, & in præiudicium tertij. Ut bene in præsentis aduertit Matien. alios referens glossa 2. numero 3. Azueco numero 1. & seqq. Quare non obstante prædicta repudiatione poterit vxor consentiente viro eam hereditatem repudiare acceptare, ac si repudiata non foret. Ut inquit Matien. supra numero 4. exemplo pupilli qui absque autoritate curatoris hereditatem repudiare potest de iure illam acceptare. §. sed neque iustitiam de autorit. tutor. & colligitur ex lege si superstitis. & lege si qui heres. §. ult. Digest. de acquirenda heredit. Non enim præstare impedimentum poterat, quod de iure sortiebatur effectum.

3 Quinimo existimo cum eodem Matien. numero 5. & Castillo lege 14. Tauri numero 10. posse maritum nomine vxoris eam hereditatem repudiare acceptare, sicuti potest pater acceptare hereditatem quam eius filius familias recusat. lege cum non solum in princ. Cod. de bonis que liberis, quia censetur cum filio eadem esse persona. At maritus eadem cum vxore persona censetur iuxta illud Genes. 3. Erunt duo in carne una. Ergo &c.

Quoad acceptationem vero hereditatis permittit lex i. regia. iul. 3. lib. 5. collect. vt vxor cum beneficio inuentarij admittere possit, secus absque illo. Nam cum ex huiusmodi acceptatione neque vxor neque maritus vitra vires hereditarias obligari possint, nullum inde præiudicium marito generabitur leg. scimus. §. et si præfatam. Cod. de iure ditor. leg. 5. tit. 6. par. 6. Sicuti bene aduertit Matien. d. leg. 1. gloss. 1. n. 1. & Azueco. num. 17.

Quod si cum beneficio inuentarij hereditatem acceptauerit vxor, quod tamen congruo tempore, vel secundum formam iuris non confecerit. Bald. in leg. si quis. §. 1. num. 6. quem refert & sequitur Castillo d. leg. 5. gloss. ult. affirmant teneri de rigore iuris, non autem de æquitate. Id ipsum censet Matien. gloss. 3. num. 5. si maritus in culpa fuit quare inuentarium legitimo tempore, & iuxta debitam formam non sit confectum. Sed rectius in omni euentu negat obligationem & actus valorem Azueco d. leg. 1. tit. 3. l. 1. collect. n. 18. quia perinde est adire hereditatem sine beneficio inuentarij legitime confectæ, ac illam adire sine vilo inuentario, quia par est non esse inuentarium legitimam, ac non esse.

Adita autem hereditate absque beneficio inuentarij, & licentia mariti existimat Matien. d. leg. 1. gloss. 3. num. 1. vxorem creditoribus in solidum teneri, eo quod ab hac obligatione nullo iure videatur mulier nupta excepta, & privilegia concedenda non sunt nisi fuerint iure excepta. Sed rectius Azueco. d. leg. 1. in fine. censet nulla obligatione creditoribus vxorem teneri, quia ea aditio hereditatis nulla est, vt inquit dicta lex regia. ibi. Permittimus que pæda acceptat qualiter herencia cum oneris de inuentario, per no de otra manera. Ergo parere nequit creditoribus obligationem.

§. III.

An pro actibus marito non præiudicantibus eius licentia requiratur?

- 1 Cessante præiudicio mariti eius licentia non requiritur.
- 2 Qui sint actus in quibus hoc præiudicium cessat?

Si vera esset sententia asserens licentiam mariti requiri ob mulieris fragilitatem, quantumvis ipsi & marito contractus virilis esset licentia requirita foret; at quia iuxta communioem sententiam diximus hæc prohibitionem in fauorem mariti inductam esse, ne ipsi præiudicium afferatur, cessante præiudicio prohibitio cessare debet. Sicuti pluribus comprobatur Tiraquel. de legib. communialib. gloss. 8. n. 62. Arias Pinel. lib. 1. Cod. de bonis matera. 3. p. n. 30. & leg. Matien. leg. 2. gloss. 1. n. 14. & seqq. tit. 1. lib. 5. collect.

Difficultas autem est qui sint actus in quibus hoc præiudicium cesset? Aliquis placet esse eos quorum dispositio in tempus soluti matrimonij confertur, eo quod tunc nullam matrimonio præiudicium esse possit. Sed rectius docuit contrarium alii relatis Azueco. d. leg. 2. numero 69. tit. 2. lib. 5. collect. Nam ipsamet obligatio perseverandi in contractu, & expectandi conditionis euentum marito præiudicat.

Pro donatione causa mortis plures dubitarunt, an licentia sit necessaria, sed verus existimauit dist. 2. huius tract. pun. 18. necessariam esse, eo quod hæc donatio acceptatione donatarij ante mortem indigeat, & dominium per ipsam quamuis reuocabiliter donatario quaeratur, quæ omnia cedunt in mariti præiudicium. Vt pluribus præter ibi relatos comprobatur Azueco. d. l. 2. n. 66.

Deinde dotem filia communi constituere an vxor absque mariti licentia? Non caret difficultate ob ea quæ iacè expendit Tiraquel. de legib. communialib. gloss. 8. ex num. 166. Gaspar Baëza, lib. de non meliorand. rat. dor. filiar. cap. 11. num. 48. & quia vxor partes mariti agere censenda est, cum ipse ex propriis dotem filia conlucere astringatur, à qua obligatione excusatur dote per vxorem constituta. sed longe verius est nullam esse hæc dotis constitutionem, vt ipse Tiraquel. & Gaspar Baëza late probant, quibus assentitur Matien. d. leg. 2. gloss. 1. numer. 10. Azueco ibi numero 73. Forte enim maritus neque eo tempore, neque totam dotem filia assignaret, eaque de causa in præiudicium liberæ mariti administrationis cedit. Neque obest causam dotis piam esse. Nam prohibitio contrahendi fauore alterius inducta non censetur remissa præ causæ fauore. Vt docuit Bart. in leg. 1. Cod. de sacrosanct. Eccles. Panormit. com. 63. lib. 1. Tiraquel. de legib. communialib. gloss. 8. num. 174. & conuincitur ex cap. licet. §. ult. de sepult. in 6.

